num publicè ſtylum ſtringendi: tantùm abfuit, ut Calviniani tùm temporis eandem cum Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, fidem doctrinamq; tenuerint: nedùm pro ſocijs eiuſdem habiti aut agniti fuerint.

Tertiò, quid ſibi volunt proteſtationes illæ, quibus Calvinianorũ Coryphæi nihil ſibi, nihil prorſus commercij cum Auguſtanâ Confeſſione eſſe, ingenuè teſtati ſunt. De Zuinglio iam dictum, quòd ſocium Confeſsionis huius ſe profiteri, palam recuſaverit. Calvinus certè, Auguſtanæ Confeſſionis profitendæ in Galliæ regno libertatem, olim à Rege oblatam repudians, FACEM eam eſſe dixit, quâ univerſa Gallia conflagratura ſit.

Theodorus Beza, non niſi commodâ admiſſâ interpretatione, ſubſcribere ſe illi poſſe, diſertè affirmavit. Iohannes Sturmius abſurdiſſimarũ hæreſeωn eam ream peragit, ſic ſcribens in Antipappo 3. pagina 115.

 Poſtne